



**T**Oko magnæ fortitudinis miles, sub Haraldo rege Danorum, Anno 950 floruit, atq; ob sagittandi peritiam in magna existimatione fuit. Vnde cum alios uirtute superaret, complures suæ fortunæ hostes & æmulos acquisiuit. Hic forte sermone inter conuiuas temulentius habito, tam copioso se sagittandi usu callere iactabat, ut pomum exiguum baculo longa distantia impositū, prima spiculi directione ferire posset. Ea uox etiam ad regis aures peruenit. Itaq; principis improbitas patris fiduciam ad filij periculum transtulit, atq; dulcissimum uitæ pignus baculi loco statuit. Conditio etiam adiecta, ut proprij capitis iactura inanem promissionem repleret, si non pomum impositum prima sagitta tangeret. Exhibitum itaq; adolescentem pater admonuit, ut æquis auribus capiteq; aperto iaculi uenientis stridorem patienter exciperet, ne leui corporis motu efficacissimæ artis experientiam falleret.